



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem Contagiosam Aliosqve Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. LII. De S. Teresia Carmelitani Ordinis reformatrice.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

CAP. LII.

*De sancta Tereſia Carmelitani Ordinis re-
formatrice.*Proverb.
cap. 31.

Mulierem fortem quis inueniet, rogabat, olim à mulieribus deceptus, ſapientiſſimus licet hominum, rex Salomon. tantam enim in eo ſexu deprehenderat imbecillitatem animi, tantam mentis inconstantiam, vt pænè ſi non planè, de huiuſmodi aliqua inuenienda deſperaret. nam haud adeò mirandum eſt, ſi viros multa ſapienter ac moderatè facere viderimus, quos ipſa Natura prudentes quodammodo atque excelfos genuit: ſed mulieres corpore fragili, animo anguſto ac paruo, fortes aliquando atque inuictas ſeſe præbuiſſe, id proſectò laudandum & cum admiratione de prædicandum quis non arbitritur? magnus ſiquidem ille mundi fabricator Deus, humanum in terris genus cum procreaſſet, virum præeſſe voluit, feminam verò obtemperare; ideoque hanc naturâ inbecillem & fragilem: illum eximio quodam animi ac corporis robore, prudentiaque ſingulari præditum videmus, nimirum maiore quadam vi ac constantiâ opus erat viris, ad res omnes humanas ex æquo & bono moderandas, quàm mulieribus, quibus ad clauum Reipub. non ita paſſim datur accessus. quo etiam fit, vt admirabilior magisque prædicanda feminarum virtus, quàm virorum communiter videri ſoleat. Et ne altè aut longè exempla petamus, præter innumeros huius sæculi illuſtres ſanctitate heroës,

vt

Vide Aub.
Mirum
in ſaß.

vt Loiolas, Xauerios, Borromæos, Nerios aliosque qui rem Christianam mirificè propagarunt, ex altero sexu vna fere occurrit S. Terefia; illa verè magna, verè admiranda, verè *Mulier fortis*, seu potius virgo; imò virago, vt æui sui Phœnicem non iniuriâ quis eam nuncupet. Hæc Abulæ in Hispania, singulari quadam Dei prouidentiâ, illis temporibus nata est, quibus Lutherus excucullatus apostata, pestilens hæreseos virus in Ecclesiam cœpit effundere. Ætate iam grandior, monasticè cœpit amplexari, ac demum austerioris vitæ cupida, supra muliebrem naturam, supra vires ac conditionem sui sexus se longè extulit. plurimis namq; monasterijs per Hispaniam excitatis, primæuam Ordinis sui disciplinam (quæ iam indulto Pontificio mitigata erat; vnde & *Carmelita mitigati* dicti fuerunt) adeò faustè instaurauit, vt non modò virgines innumerabiles, sed viros quoque doctrinâ & sanctitate eximios ad imitationem pellexerit, atque ad Cœnobia austerioris instituti cōdenda permouerit. Fuit autem progressus, Deo adiutâre, adeò copiosus, vt Cōgregatio à Sixto V. in prouincias quinque per Hispaniam distributa, & postmodum à Clemente VIII. propriam nacta fuerit Præfectum Generalem. que quidem cùm Hispaniam impleuisset, & ad Occidentales Indos palmites porrexisset, in Italiam demum pedem intulit, atque ex Seminario Romano in Sarmatiam ac Russiam ad Septemtrionem, in Indiam Persiamque ad Orientem, denique in Galliam ac Germaniam cùm inferiorem tum superiorem sit prolata. ac prima quæ eam in Belgicam nostram attulit fuit Venerab. *Anna de Iesu*, ab *Alberto Pio* atque *Isabella Clara Eugenia* optimis Principibus nostris inuitata, quæ 4. Kalend. Mart. anno 1621. Bruxellæ moriens, ad meliorem vitam migravit, magnâ sanctitatis opinione: sicut & ipsa sancta Mater Terefia sanctissimo fine gloriosum monasticæ

vita^e cursum consummauit anno 1582. 4. die Octob. ecclesi^e beatarum mentium catalogo adscripta à Gregorio XV. anno 1622. 12. die Martij, multâ sanctitatis & miraculorum gloriâ illustris. Cur verò gloriosam hanc Virginem supradictis adnumerem, causam dabo non cassam; in vitâ enim illius per sacras icones distinctâ & Paulo V. qui eamdem beatificauit, dedicatâ, præter varios infirmos diuersis languoribus & corporum defectibus laborantes quos suis meritis curauit, etiam lego quòd plurimos peste periclitantes restituerit sanitati: haud dubiè quin & eodem malo iam periclitanti Belgio subueniet si deuotis mentibus fuerit inuocata, maximè cum iam sacram suam propaginem adeò felici progressu per plerasque eius prouincias videat propagatam; è quibus & in Poloniam rogantibus eius Rege & Reginâ, noua monialium colonia nuper fuit emissa. neque enim quæ videt videntem omnia, hæc ignorat. vnde specialiter nostra Brabantia sacris eius exuvijs meruit honorari. Digitus namque eius aureæ thecæ inclusus, adseruatur Bruxellis in Augusto Carmelitanarum Virginum Cœnobio, per R. P. Hieronymum Gratianum, qui Virgini à sacris Confessionibus fuerat, in Belgium allatus. Eiusdem os grande R. P. Thomas à Iesu Bratiensis, vir libris editis clarissimus, huc attulit, & in Carmelitarum Discalceatorum monasterio, quod anno 1614. Bruxellis absoluit, honorificè collocauit. Obijt quidem sanctissima Virgo 4. Octob. sed festum nihilominus celebratur 5. eiusdem mensis, ne cum festo S. Francisci coïncidat. Heroïca vitæ eius gesta, & in quibus præter sexum nihil muliebre inuenies, vide apud Riberam & alios omnibus obuios. Scripta eius ascetica, ijs qui ad perfectæ vitæ metam contendunt, vtilissima, & spiritum seu meditandi rationem (quâ tamquam iaculo diuino, lectorum mentes suauiter vulnerat, atque ad virtutis

studium

SPIRIT. PHARMACORVM. 255

studium mirificè inflammat) summi nostræ ætatis viri vnanimi consensu approbarunt. Sacrum eius corpus Albe in Hispania, quod regni Castellæ est oppidum, diœcesis Salmanticensis, ducatus titulo illustre (vnde Ferdinandus Alvarez de Toledo Dux Albanus & nuper Belgij gubernator) honorificè est conditum, quod hodieque incorruptum, non sine miraculo, odorè spirat suauissimum, oleumque stillat saluberrimum, totâ inspectante atque obstupescente Hispaniâ. vbi & hæc tumuli eius reperitur inscriptio:

*Rigidis Carmeli Patrum restitutis regulis,
Plurimis virorum, feminarumq; erectis claustris,
Multis veram virtutem docentibus libris editis,
Futuri præscia, signis clara,
Cælesti fidus ad sidera aduolauit.*

Franc.
Svveert.
in delitiis.

B. Virgo Terefia

IV. Non. Octob. Cl. I. XXCII.

*Manet sub marmore non cinis,
Sed madidum corpus, incorruptum,
Proprio suauissimum odore,
Ostentum gloriæ.*

Pluravide apud R. D. Aub. Miræum, Ecclesiæ Cathedralis Antuerpiæ Decanum amplissimum, in Originibus Virg. Terefanarum.

C A P.